THESIS BERLIN 1865
Lane Medical Library

DE

LIQUORIS FERRI SESQUICHLORATI INJECTIONE IN VENAS AD VARICOSITATES EARUMQUE COMPLICATIONES SANANDAS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. JULII A. MDCCCLXV. – 1865

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAURITIUS HERMANNUS WEWER

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. TREPPER, MED. ET CHIR. DR.
J. LOOS, MED. ET CHIR. DR.
L. KALKER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

LANE MEDICAL LIBRARY
300 PASTEUR DRIVE
PALO ALTO, CALIF. 94304

LANE MEDICAL LIBRARY
300 PASTEUR DRIVE
PALO ALTO, CALIFORNIA

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Haud dubium est, quin viri docti maxima semper difficultate afficiantur, quaenam medicamenta ad varicositates sanandas saluberrima atque minimi periculi sint. Haec enim medicamenta, haud magno periculo conjuncta, palliativa erant; haec vero saluberrima, eademque periculosissima; ita ut semper aegri in malo, quod rarissime vitam periculo submittit, vitam operationibus ancipitibus adhibeant. Accedebat igitur, quod a primis temporibus populus illud principium animo suo, ut ita dicam, inscripserat, artem varicositatum sanationem, quum radicalem vocamus, assecuturam fore, et solum auxilium, quod malum brevi tempore tolleret, praebere posse.

Quo magis illi docti viri meriti sunt, qui, difficultates et permulta maximaque pericula haud timentes, ut aliquo modo aegrotum a malo liberarent, sanationibus, quas radicales vocamus, uti conarentur.

Sin enim initio aegrotum non celerrime certissimeque curarent, sive ob deficientem tractationem opera-

LANE MEDICAL LIBRARY
300 PASTEUR DRIVE
PALO ALTO, CALIF. 94304

tione facta, sive ob malam operationem, attamen nobis ostenderunt, quomodo hac via sedulo fortiterque progredientes, optatum finem assequi, tandemque ex ratione sanandi ad id usque tempus minus perfecta incertissimaque optimam certissimamque methodum invenire possimus, methodum dico, quae secundum artis nostrae regulas adhibita, optima atque saluberrima erit.

Quum quinque observationibus, quas in celeberrimo Juengkenii Ill. Clinico Chirurgico feci, mihi persuasum esset, hoc medicamentum in liquore ferri sesquichlorati novissimis temporibus inventum esse, operae pretium duxi, de modo injectionis et praecipue de illis observationibus meis, scribere constitui, ut et eventus secundos demonstrem et ad alia facienda experimenta invitem. Continuis tunc observationibus, quam sint falsa illa compendiorum nostrorum verba, »quae ad concludendas venas operationes commendatae sunt, et periculosae et incertae sunt« haud difficulter mihi persuasi.

LITERATURA.

Jam antiquissimis temporibus haec experimenta facta sunt primumque quidem in animalibus, ut quasdam substantias directa in venas injectione organismo adderent.

Altero septimi decimi saeculi dimidio primo viri doctissimi Major, Elsholtz, Purmann et alii conati sunt, operationes illas minime simplices in corpore humano facere. Haec, quam dicimus, ars infusoria usque ad novissima tempora peracta est; tum enim facilitate et parvo periculo, quo nunc haec medicamenta hypodermatice, siphone a viro docto Pravaz invento, injiciuntur, animo sublata est.

Qua Pravazii inventione ars aciurgica novo quodam instrumento aucta est, quod semper se probabile ostendebat omnibusque et tunc et postea viventibus maximo gaudio accipiebatur; tanta enim facilitate per illud instrumentum nunc operamur, quo et artis medicae rudis quisque uti possit. Quae quum ita sint, accedebat, ut Pravaz [1]) non solum satis haberet, liquorem injiciendum solum hypodermatice addere, sed siphonem

---

[1]) Pravaz, Ueber die Behandlung von Aneurysmen mit Injection von Eisenchlorür. L'union 1857. 138.

suam ipsis arteriis imposuit, ut liquor sanguinem coagulans ad aneurysmata sananda injiciatur.

Operatio, quam Pravaz anno 1845 fecit, habebat eventum, ut omnes a Pravazii methodi abhorrerent et methodus ipsa omnium doctorum fidem amitteret, usque ad Lallemandium, qui, utilitate methodi intellecta, nova experimenta agebat, quae summatim universimque melius evenerunt.

Quo factum est, ut viri docti methodum illam approbarent, exercerent, emendarent. Inter magnos multosque Pravazii et Lallemandii sectatores primum locum tenent, Velpeau, Pétrequin et alii, quos longum est enumerare.

Eodem tempore haec experimenta et in venas translata sunt, primo quidem, quod aliter evenire non poterat, eodem sinistro eventu ut in aneurysmatis, raris solum operationibus factis.

Quod ex verbis viri clarissimi Desgranges Lugdunensis elucet: »Sinister »inquit« eventus Pravazii ne deterreat, inter 40 operationes ejus, in quibus tres quatuorve guttas injecit novem aegroti sanati sunt, in ceteris inflammationes, abscessus etc. evenerunt.«

Quo plures sanationes instituerunt, eo plures novam methodum secuti sunt, sed usque ad initium decennii superioris dissentiebant viri docti, quanam solutione et quam multis guttis uterentur.

Annis 1853/54 Giraldes [1]) hac de re experimenta summi momenti egit invenitque tres quatuorve guttas sanguinem carotidis equi ad coagulationem adigere.

Eodem loco (sc. Gaz. d. Hop.) Voillemier, Maisonneuve publici juris fecerunt experimenta sua, omnesque sibi persuaserunt, duas tresve guttas solutionis concentratae ad sanguinis coagulationem sufficere. Haud multo post scripserunt Palasciano [2]), Lambassy [3]), Lenor [4]), Valette [5]) et alii de eventibus partim sinistris partim secundis.

Sinistros quoque Le Roi d'Etiolles [6]) habuit, post operationem semper inflammatione immo gangraena eveniente. Qua re commotus Debeauquet [7]) medicamentum, quod idem certe, sed lenius sanaret excogitavit idque in jodo cum acido tannico [8]) se invenisse puta-

---

[1]) Giraldes, Gaz. d. Hôpit. 1854. pag. 208.
[2]) Il filiatre seb. Dic. 1854.
[3]) Abeille méd. 1854.
[4]) Gaz. d. Hôp. 1554.
[5]) Gaz. d. Hôp. 1854.
[6]) Gaz. d. Hôp. 1855. pag 40.
[7]) Gaz. d. Hôp. 1855. pag. 581.
[8]) Rp. Jod. gr. v.
Tann. gr. XLV.
Aq. destill. gr. L.
M. D. S. 2—5 Tropfen einzuspritzen.

vit. Nitebatur quidem observatione, post injectionem thrombum plus ad organisationem vergere.

Denique recentissimis temporibus viros rebus chirurgicis excellentes vario cum eventu, nunc bono nunc malo, secasse, ex scriptis multorum, ut Caron [1]), Schuh [2]), Sentex [3]), Sistach [4]), Erichsen [5]) satis constat.

Ex hac brevi expositione satis jam intelligi potest, haud raro usque ad hoc tempus accidisse, ut injectio liquoris ferri sesquichlorati adhiberi posse videretur. Hoc tamen non est negligendum, illa, quae in scriptis invenimus, observata a communi rerum humanarum cursu prorsus abhorrent, neque prius magni sunt facienda, quam praestantia illius agendi rationis pluribus exemplis confirmata atque demonstrata sit.

Ceterum ut in aestimandis et adhibendis experimentis therapeuticis nunquam fere difficultatibus care-

---

[1]) Caron, E., du traitement des varices par les injections de perchlorure de fer dans les veines. Thèse. Paris 1856. 88 pp. Arch. gén. Déc. p. 740.

[2]) Wiener Wochenschrift 1861. p. 48. 49.

[3]) Ueber Behandlung der varicösen Geschwüre durch Eisenchlorid enthaltende Injection. Journ. de Bord. 2 Sér. p. 5. Jan. 1862.

[4]) Zur Statistik der Varicen. Gazette d. Psris. 38. 39. 40. 1863.

[5]) Erichsen, Behandlung der Varicen etc. Brit. med. Journ. Febr. 25. 1860.

mus, ita in hac quoque re omnibus ejusmodi malis laboramus; praecertim quum parum adhuc assueverimus atque possimus in experimentis therapeuticis faciendis tali diligentia et cautelarum copia uti, quali in experimentis physiologicis utimur.

OPERATIONIS RATIO.

Crurum intumescentia, ut plurima mala, relaxatione earum, quibus vivimus ac vigemus, fibrarum efficitur.

Compressione vero vasorum sanguinem atque lympham efferentium lumen valde augetur i. e. in deterius mutatur.

Hic intumescentiae status, sive acute sive chronice procedat, aut ex vi vitali gravi morbo debilitata atque parum restituta in convalescentia sequatur, aut impulsu aliquo externo, qui organismo sit noxius, aut digestione victu imminuta, aut varicositatibus venae portarum, aut certo in loco pondere, sanguinis in venis varicosis sine illa vi, quae necessaria est fluentis, efficiatur, vario modo corpus magnis incommodis afficit.

Quamvis saepe, quum vis mutua, quae inter vasa secretoria atque resorbentia intercedit, vitiosum in modum procedat, copia nobis data sit, turbatas illas

rationes bono cum successu brevi talibus remediis restaurandi, qualia sunt aloë, rheum, Karlsbad, Saidschütz etc. tamen illa naturae perturbatio, nullis remediis removeri potest, quum usque eo perveniet, ut functionibus organismi impedimento sit. Quod ut accidit, sine ulla dubitatione remediis arte quaesitis et certo in loco adhibendis opus est, et fieri non potest, quin ii homines, qui etiam alias minus sensibiles se praebeant, non tamen sine gravi in futûrum tempus detrimento, minore mali sublevandi desiderio teneantur.

Quo quum multo saepius usu veniat, quam id, quod primo commemoravimus, arti aciurgicae occasio data est, adjumenta sua explicandi, et, ut fit, quo difficilior quaestio est expeditu, eo magis eae, quae adhibitae aut propositae sunt rationes procedendi inter se discrepant; quum hi simplicem vincturam, illi molestam illud atque odiosam, quod nostra lingua »Schnürstrumpf« appellamus, alii caligas, alii scortea lintea, alii denique obliterationem varicis artificiose per venarum perforationem variis modis faciendum optimum esse contendant. Attamen haec omnia nullo modo experientia probantur et malum remorantur magis quam tollunt, ab injectione vero novus quasi in tractandis varicibus ordo natus est.

Singulas illas agendi rationes, quae a variis auctoribus praelatae, exercitae, emendatae sunt, enumerantes

longius ab incepto nostro aberraremus, itaque, ut opinor, sufficiet, methodi illius a clarissimo viro Ill. Jüngken exercitae et recentissimis temporibus optimo successu comprobatae commemorare.

Circa medium saeculum nostrum Voillemier et socii ejus modo agendi tum temporis apud omnes fere recepto utebantur, de quo le Dentu [1]) haec scripsit: Aegrotus minimum per unam horam ante operationem faciendam ambulet, immo si potest, in itinere pedestri quasi desudet necesse est, ut venae satis impletae et quoquo versus extensae sint.

Stanti illi liquor injicitur, vena supra locum injiciendum compressa. Punctione facta et liquore injecto, compressio non amplius desideratur et omitti potest. Post injectionem sipho 2 — 4 min. in ore punctionis remanet. Deinde aegrotus, »sine ulla corporis motione« in lecto reponitur, ore punctionis non deligato. Tum cataplasma superponitur, ceterum ut plane quietum se teneat, commendandum est.

A le Dentu, quum hunc Voillemieri modum procedendi describat, putat eum hac ratione emendari posse: »Compressione, dum operatio fit, non solum non est opus, quum, si illa adhibetur, minus spatium thrombo impleatur, sed etiam periculo illa est, quod compres-

[1]) Schmidt's Jahrbücher B. 120. 1863.

LANE MEDICAL LIBRARY
300 PASTEUR DRIVE
PALO ALTO

sione ferrum injectum priusquam cum sanguine confunditur, ex ore punctionis effluit et telam cellulosam infiltrat atque mortificat.« Plurimum ille vir doctus compressioni non adhibendae tribuere videtur, ut majorem thrombi copiam consequatur et successum hac re certiorem reddat. — Solutio illa, qua ad injectionem utebatur erat [1]), de qua 44 guttas injiciebat. Tribus post operationem perfectam diebus aegrotis permittitur, ut ad opera diurna revertant. Ex illo tempore duae hae procedendi rationes, quarum una, ut compressio *supra* locum injiciendum fiat, et ut aegrotus summam quietem teneat, postulat, altera *neutrum* patitur, maximi momenti fuerunt, et usque nunc in disciplina francogallica summa auctoritate fruuntur.

Quoniam autem intelligi posse ex scriptis, utramque ad finem consequendam parum aptam esse et semper fere sinistrum exitum habere, ita ut non nisi paucis, si numerum eorum, qui operationi subjecti fuerunt, consideres, bonus eventus daretur, quoniam luce clarius apparet, thrombum bonis auspiciis formatum in organisationem bonam ac firmam transformari, facere non possumus, quin in modum, quo viri illi in operatione facienda utebantur, culpam ejus rei

---

[1]) Rp. Li.q. ferr. sesquichl. ʒjβ
Aq. destill. ʒj.

conferamus, quod permultae illae, quas scripta exhibent operationes maxima ex parte malum eventum habuisse, etsi A. le Dentu sua agendi ratione sexaginta aegrotos sanasse contendat.

Multum quidem abest, ut singulas illas procedendi rationes judicemus vel de iis sententiam feramus, sed nos non longius a veritate prolabi puto, quum contendamus, A. le Dentu illam quum praesentem habuit rationem nec perfecisse neque emendasse, immo vero in contrarium incidisse. Nam si rem illam accurate consideramus et examinamus, facile intelligi potest operationem, ut omittamus, quod compressione non utebatur, omnino malum exitum habere debuisse, eam ob causam, quod aegrotus, post operationem perfectam, tranquillitate et quiete per aliquod tempus necessaria carebat. Nescimus igitur, quid de illo, quem A. le Dentu saepius sive evenisse dicat, successu credamus, nisi forte putandum nobis sit, fatum quoddam divinum et communem rerum humanarum cursum excedens, quod ceteris mortalibus raro obtingat ei in operationibus suis favisse.

Id vero constat illum id, quod quaerendum ei erat non invenisse, immo id ipsum, quod ad emendandum contemplari debuit, non solum praeteriisse, sed etiam prorsus in contrarium vertisse. Primo quidem aegroto post operationem factam altissima tranquillitate procul

dubio opus esse constat; non minus autem facile demonstrari potest, compressione utendum esse, quum consideremus, nos id agere debere, ut perfecta sanguinis coagulatio efficiatur. Hoc vero quadraginta quatuor guttis solutionis ferri omnino effici non potest, in tanto praesertim volumine, quantum exempli causa varicositates in crure exortae praebent.

Itaque ad perfectam coagulationem assequendam majorem liquoris copiam injicere deberemus. Ad hoc tamen nullo modo spectamus, quia et coagulatio majoribus in locis perfecta etiam varicositatibus infra loca supradicta positis nequedum ad coagulationem perductis sanandis omnino sufficit; et sine dubio vehementior imflammatio quam jam minori liquoris copia injecta metuimus, omni modo vitanda est, ne prognosis ad malam vergat. Nam igitur id, quod fieri volumus, scil. ut membrum aegrotum sanetur, consequemur, nisi modus et ratio, qua in compressione sola thrombum bonum et firmum assequimur, qui curationem faciliorem reddit. — Quodsi credamus, ut A le Dentu affirmat, thrombum majorem *sine* compressione effici posse, tamen nullo modo demonstratum est, immo maxime in dubium vocandum, num ea ratione ad thrombum satis firmum et bene in organisationem perductum perveniamus. Hoc autem nobis propositum est, hoc perfecto periculum omne abiit, tum demum

operationem feliciter processisse dicere et scribere possumus.

Haec omnia consideranti atque aestimanti, clarissimo viro Ill. Juengken primo in mentem venit non solum una compressione facienda non contentum esse, sed etiam, quum simplicem compressionem ne fini quidem respondere existimaret compressione duplice i. e. infra et supra locum injiciendum adhibenda uti.

Hac ratione eo perveniet, ut aegrotos non multos quidem, sed certe et tuto cum successu sanatos exhibere possit, qui morbo plerumque gravissimo illa agendi ratione liberati sint. Methodus operationis haec erat:

»Ubi aegrotus operationi faciendae omnino assensit, in lecto recubanti ei manus admovetur. Tres fere digitos supra locum injiciendum, simplex ejusmodi instrumentum, quod appellatur »tornaculum« apponitur, ut vena ibi excurrens comprimatur. Post pauca temporis momenta (Secunden) ubi sanguis partes infra compressionem positas satis implevit, etiam paucos digitos infra comprimitur, id quod manu sola exsequi possumus. Venarum, de quibus agitur, parte in longitudinem duorum vel trium fere digitorum excurrente ab utroque fine compressa et sanguine penitus impleta, tum sipho, ubi eum solutione liquoris ferri sesqui-

chlorati [1]) implevimus, providenter intruditur, et liquoris copia usque ad vicesimam fere notam (Theilstrich) vulgo pertinens injicitur. — Sipho, postquam per tres vel plures Min. in vulnere relictus est quia plerumque thrombus bonus atque satis firmus formatus est. Inter hoc tempus, scil. dum sipho adhuc in ore punctionis haeret, non sine utilitate erit quum venam leviter molliterque condepsamus, ut liquor ferri sesquichlorati cum sanguine penitus conjungatur et confundatur. Sin vero inter haec sex Min. thrombus talis qualis desideratur nondum formatus sit, sipho non prius amovendus est, quam illud evenerit.

Si varices tam late sese extendunt, ut totum paene crus vel etiam femoris partem amplectantur, ita ut non verisimile sit unam injectionem thrombo bono efficiendo sufficere posse, tum eadem ratione plures injectiones faciendae sunt id quod postea singulari occasione longius enarrabitur.

Ubi secundum regulas supra memoratas omnia maxima cum moderatione et diligentia perfecta sunt, primum os punctionis diligenter vigilandum est. Ne minimum quidem imflammationis iudicium neque omitti

---

[1]) Rp. Liq. ferr. sesquichl. ℈j
Aq. destill. ℥j.
M. D. S. zum Einspritzen.

neque parvi astimari, sed aqua Saturnina, si fieri potest frangi debet.

Plerumque quidem eschara exigua circa os punctionis oritur; non tamen perfectam dissolutionem metuimus, nisi forte cautelae ad finem necessariae negliguntur. Maxime autem aegroto altissima tranquillitate opus esse, ut sanatio bonum exitum habeat, jam supra commemoravimus. Quamdiu necesse sit ut aegrotus id, quod vitari non potest in lecto immotus jaceat hoc quum ex complicationibus, quae varicibus effectae erant tum ex formatione thrombi pendet; hic enim satis firmus sit neque indicia inflammationis se praebeant oportet, et, ut brevi dicam, necesse est, curatio coeperit. Facile igitur intelligi potest singulum quemque aegrotum in tali rerum statu singulo modo tractandum et de tempore et modo sanationis non nisi ex habitu aegroti universali et ex complicationibus supra dictis judicandum esse. Injectione illa, quam saepius memoravimus, feliciter perfecta, ita ut thrombus firmam organisationem nactus sit vel, ut brevi dicam, vena obliterata sit tum causis remotis ea mala, quae tempore procedente ex varicibus oriuntur, plane exstinguuntur. Nihil igitur revera tractatum est, quam complicationes varicum, ubi illud assecuti sumus; e contrario maxima et paene insuperabili difficultate laboramus, quam causae efficientes non remotae et cloacae nondum occlusae sunt.

Complicationes illae levissimis remediis mirum in modum sanantur, ita ut curationem earum non therapia singulari effectam, sed ex obliteratione varicum coortam esse nobis credendum sit. Ulcera vel eczemata etc. si quae existunt simplicibus fomentis calidis vel ex infuso chamomillae comparatis obteguntur.

Tandem fomentis non adhibitis, idem assequimur, quippe quum causa remota sit, quae sanationem retardabat ac cujusvis medicamenta generis irrita faciebat. Haec igitur simplicissima atque facillima ratio, quae directa est ad comprimendas venas aut supra locum vel spatium injiciendum aut infra sitas, quum adhuc optimos eventus habuerit haud scio an ea sit, quae agendi securitate omnes prorsus superet, quam ob causam solam eam quidem adhiberi necesse est.

Ea enim est quae optima remedia sanandi varices earumque complicationes nobis praestet.

Agedum rationibus illis, quas supra diximus adducti, universi abhinc methodum, quam laudamus, sequamur, ne proletarii, quem vocamus, uxori, quae quum gravida est saepe varicibus laborat, vel ex orta graviditate varicositatum vestigia exhibeat ne inquam proletarii, quippe qui ex nummerosa prole nomen ducit, uxori amplius praecipiamus: »ut crura vittis involvat.«

HISTORIA MORBI I.

Anamnesis.

Eduardi Baum, operarii, quadraginta duos annos nati, crura inferiora per decem jam annos varicositates exhibent. Qui quidem quum ut quotidianum victum pararet assiduam operam navaret neque se remittere posset, factum est, ut ejus morbus in dies augeretur. Ante annum igitur accidit, ut infra poplitem tumorem aegrotus animadverteret, qui in dies crescebat, neque tamen initio majorem molestiam ei afferebat. Sed quum tumor et in dies majorem vim acciperet et cruris laborantis functiones subito intermitterentur homini misero, jure meritoque summus timor ei injectus est ne summa sibi morbus incommoda inferret.

Qua re perpensa operam dedit, ut in clinicum chirurgicum reciperetur valetudinis restituendae studiosus.

Status praesens.

Tumor, qui magnitudinem ovi fere aequat in medio poplite situs est lividi coloris. Pulsationes exhibet quae ubique non singulari loco animadvertuntur. Neque tamen cohaerere videtur cum varicibus, quae cruris per magnam partem currunt.

Idem loco moveri potest vi adhibita, sed in eundem locum redit simulac vi abstinueris. Aegrotus neque genu neque pedem flectere potest eorum membrorum paralysi, quam vocant, laborans.

Diagnosis.

Vasa tumore affecta esse facile intelligi poterat neque tamen, quin accuratius res perpenderetur, dijudicari poterat utrum venarum an arteriarum tumor esset quamvis primo obtuitu aneurysma, quod dicunt adesse videretur. Sed quum pulsatio quodam loco nec ubi animadverteretur quumque compressione supra tumorem facta non intermitteretur, immo majorem vim adciperet ipseque tumor simul cresceret quod quidem, si tumor aneurysma fuisset fieri non potuisset.

Sine ulla dubitatione pulsatio ab arteria poplitaea perfecta ipseque tumor varicosus erat.

Quod vero attinet ad paralysin, quam commemoravimus, haud est dubium, quin comprimendis nervis facta sit.

Therapia.

Re accuratius perpensa, injectionem faciendam eamque quam supra diximus sanandi rationem sequendam esse decreverunt. Compressione vero et supra locum injiciendum et infra eum accuratissime facta,

temporis spatio quinque Min. interjecto perfecta coagulatio evenit. Aegrotus autem, summa cura in lecto collocatus, admonitus est vehementissime, ut maxime tranquillum se praeberet.

Spatio duorum fere mensium interjecto, in pristinam valetudinem restitutus erat. Idemque hoc tempore ostiarii munere fungens, optima valetudine gaudet.

HISTORIA MORBI II.

Anamnesis.

Alter casus, quo nostra sanandi ratio prosperum eventum habuit, spectabat ad operarium quadraginta octo annos natum, cui nomen est Peters.

Aegrotus quinque annos amplius varicibus laborat, qui in crure inferiore inveniuntur. Ante id tempus firmissima valetudine gavisum se esse contendit. Praesentem vero morbum initium cepisse ex dyspepsia atque plethora — Potatorem unquam magno gradu se fuisse negat. Idem affirmat, quum per plures dies se remiserit, in meliorem statum se referri. Pruritu vero et humore ex varicibus cruris perpetuo proficiscente, impedire sese, quin victui comparando operam det, ac ad clinicum chirurgicum unde auxilium peteret, confugere.

Status praesens.

Varicositates, quae circum venam saphenam magnam versantur, flexibus obliquis crus inferius perrerrant. Inde a malleolis usque ad tertiam partem superiorem cruris cernitur eczema rubrum et vehementissime inflammatum. — Hepar affectum est modico tumore nec haemorrhoidum parvus numerus refertur. — Abdomen tumuit in regione hypogastrica dextra.

Asciten quoque reperimus neque tamen magni momenti. Ex iis omnibus igitur facile apparet, aegrotum varicibus laborare, quippe qui ex morbo hepatis ac, si ad ultimum fontem recurramus, ex abusu spirituosorum emanasse luce clarius videtur.

Therapia.

Praeterea quod miserrimae aegroti conditioni vel purgatoriis medicamentis, exempli causa Aloë, Rheo vel decocto Zittmanni auxilium praeberi potuit, — id quod revera factum esse scias velim — praetermitti non potuit, quin alia sanandi ratio quaereretur, praesertim quum aegrotus inops esset. Factum id est igitur medicamentis, quae antea adhiberi solebant non adhibitis e. c. sapone viridi vel pice liquida vel Kali caustico etc., quibus auxilium quum praestari non

posset, nisi palliativum, quod dicunt, aegroto consentiente injectio liquoris ferri sesquichlorati.

Admodum mirum sane eventum haec sanandi ratio habuit. Etenim videres, ut in dies aegroti conditio melior fieret atque nullis aliis medicamentis adhibitis nisi hydropathicis fomentis cicatrisatio atque desquamatio absoluta efficeretur. Temporis spatio igitur sex hebdomadum interjecto, integra valetudine noster usus est. Ut caute ageretur, induerunt aegroto tibialia astrictoria (Schnürstrumpf), quibus crus initio majore facultate sentiendi laborans tueretur.

Idem, quantum scimus, adhuc integra valetudine gaudet.

HISTORIA MORBI III.

Anamnesis.

Carol. Bolte, artis tornandi peritus, quinquaginta annos natus, vehementi catarrhali conjunctivitide laborans, a clinico chirurgico auxilium petivit. Eidem vero quum varices, qui per crus inferius currebant, summas molestias afferrent, hujus quoque morbi sanatio fieri debuit, quippe quo aegrotus jam decem fere annos laborabat. Ante annum igitur subito multo sanguine profuso et varice rupto, ulcus ortum est, quod quidem cujusvis generis medicamentis aditum non praebebat, atque continuo patebat.

Status praesens.

Noster habitum corporis obesum exhibet. Varices vero praesertim in laevo crure summi, permagnum spatium extremitatum currunt.

Quum vero aegrotus contendat, se nunquam acrioribus liquoribus fructum esse, neque aliae rationes contrarium nos doceant, negare non possumus, quin ejus morbi alius fons existat. Id solum constat, eum laborare tardiore sanguinis venae portarum, quae dicitur, circulatione, quod verum esse inde quoque conjici potest, quod haemorrhoides in summum gradum provectae adsunt.

Therapia.

Sententiam secuti eam, ad amovendas mechanicas perturbationes mechanica quoque seu localia quae vocant remedia requiri, facilie nobis persuasimus, optimum factu esse, hoc quoque casu injectionem fieri. — Thrombo igitur valido quatuor Min. elapsis orto, non dubium erat, quin operatio felix futura esset. Inflammatio autem, quae operationem sequebatur, ac per biduum in ore punctionis persistebat, facili negotio fomentis, aqua Saturnina imbutis, minuta ac paulo post prorsus remota est.

Simul vero corporis status aegroti ratio habita

est, ac monitus noster, ut cibos sumeret, qui facile digererentur, et maxime tranquillum se per proximos dies praeberet. Qua sanandi ratione adhibita infra tres jam hebdomades noster tam bona valetudine gavisus est, ut clinicum chirurgicum relinquendum esse arbitraretur. Neque tamen ei morem gesserunt, sed per proximas tres hebdemades summa cura tractatus et deinceps integra valetudine gaudens dimissus est. Abiens vero aegrotus maximas medicis gratias egit, quod miserrimae suae conditioni auxilium praestitissent.

HISTORIA MORBI IV.

Anamnesis.

Ludovicus Blitz, operarius, quadraginta sex annos natus, per complures annos ulceribus cruris inferioris laborat, quae eum magnopere impediebat, quominus officiis suis satisfaceret; aliquando etiam fiebat, ut ab omni labore abstinere cogeretur summis molestiis aegroti cruris afflictus. Quamquam quum per aliquod tempus se remisisset, ulcera in cicatricem transibant, tamen minimo motu denuo erant rupta.

Ita aegrotus permultos jam annos vitam miserrimam degebat donec nuperrima ulcerum ruptione, victui comparando omnino impar factus, die XXIV Novemb. 1864 in clinico auxilium peteret.

Status praesens.

Duo ulcera obtegunt crus inferius dextrum, quorum minus malleolo interno inhaeret, majus cruris lateri exteriori et quidem, tertiae inferiori ejus parti, patet longitudine $3\frac{1}{2}-4''$ et latitudine, qua summa est, $2\frac{1}{2}''$.

Ambo ulcera squalida sunt eorumque margines callosi, cutis in circuitu coloris lividi, quodsi totam regionem morbo affectam comparare velis, jure collis instar habeat. Re accuratius cognita leprosum esse ulcus non possumus non judicare. Praeterea in cute cruris inferioris dextri varices manifesto cognoscuntur ingentes ii quidem quasi per alveum cavum errantes, iidemque tela conjunctiva validissima circumdat.

Passim multi phlebolithi animadvertuntur rotundae figurae.

Therapia.

Die XXVI. Novembr. 1864 injectus est liquor ferri sesquichlorati in venam saphenam magnam, ubi condylum internum ossis femoris attingit.

Secuti sunt vero rationem sanandi, quam supra exposuimus, thrombi materia, quae apparebat in longitudinem patebat $3-4''$. — Postero autem die punctionis os paulum inflammatum erat quae quidem in-

flammatio adhibita aqua Saturnina aliquot diebus interjectis plane exstincta erat.

Verum enim vero quamquam ulceribus leprosis neglectis aliis medicamentis sola fomenta humida inserviebant, tamen in dies valetudinem nostri firmiorem fieri, facile cognosci poterat. Quo factum est, ut aliquando medicamentis adhibitis iis quidem, quae ut celerius etiam aegrotus convalesceret, efficerent ex. c. Aloë, Rheo, aliisque cujus generis, mense Martio anni 1865 integram in valetudinem restitutus dimitteretur.

HISTORIA MORBI V.

Anamnesis.

Henricus Waldmann, fabri lignarii adjutor, triginta tres annos natus, per decem annos varicibus et varicosis ad crus ulceribus laborat. Quae posteriora, levi cutis laesione ac neglecto vulnere inde exorto, effecta erunt. Ulcera autem modo in cicatricem abierant, modo aperta erant, ita ut aegrotus valetudinis causa jam pluries in clinico versatus esset ubi die quarto mensis Jannuarii 1865 denuo auxilium petebat.

Status praesens.

Cernuntur ingentis magnitudinis varices, qui lineis admodum flexuosis circumvolvuntur. Accedit ulcus

inveteratum ambitu nummi argentei quem vocant »florenum« (Gulden). — Proxima ulceris regio inflammata ejusque fundus squalidus est et patridus. Aliis vero malis noster omnino liber esse videtur.

Therapia.

Die sex Jan. 1865, postquam aegrotus sibi persuasit vitae periculum operatione incunda prorsus abesse, quatuor diversis locis liquorem ferri sesquichlorati sibi injici passus est. Quodsi diximus quatuor in locis injectiones factas esse, non mirum tibi videatur, quum ingentem varicum magnitudinem respexeris; unde erat pertimescendum, ne unica tantum injectione facta prosper eventus foret.

Ea igitur quam laudavimus sanandi ratione adhibita, effecta est minoris ambitus »eschara« circum os punctionis, qua detrusa damna exorta non sunt.

Aeger igitur, postquam ulcera fomentis humidis involutis facile in cicatricem abierunt, haud multo post dimissus est valetudine integra gaudens.

VITA.

Ego Mauritius Wewer, fidei addictus catholicae, natus sum Warendorpii Guestphaliae anno h. s. XLI d. XXV mens. Novembri, patre Conrado, matre Theresia, e gente Sternberg, quos vivos summa pietate gratoque animo amplector.

Primis literarum elementis imbutus gymnasium patriae, quod adhuc Ill. Lucas directore floret, novem per annos frequentavi. Autumno anni LXI, maturitatis quae dicitur testimonio munitus, Gryphiam me contuli ubi a Rectore Magnifico Ill. Baumstark, in civium academicorum numerum receptus, sex per semestria literis medicis operam dedi. Tum hanc almam Berolinensem sedem literarum petii, ubi ab Ill. Dorner, Rectore Magnifico, civibus academicis adscriptus, apud Ill. Reichert, t. t. Decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis, nomen rite professus sum.

Per octo semestria disserentes audivi:

Gryphiae:

Ill. Budge de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum, de physiologia, de embryologia, de arte cadavera rite secandi, idem dux mihi exstitit in cursu physiologico;

Ill. Schultze de angiologia et neurologia, de anatomia comparativa;

Ill. Laurer de materia medica generali et speciali, de arte fascias rite aligandi;

Ill. Grohé de anatomia pathologica;

Ill. Ziemſsen de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia et therapia generali;

Exp. Heinecke de syphilide;

Exp. Schirmer de ophthalmiatrice;

Exp. Jessen de botanice;

...VE MEDICAL LIBRARY
...00 PASTEUR DRIVE
...ALO ALTO, CALIF. 94304

Ill. Muenter de zoologia;
Ill. de Feilitzsch de physice experimentali;
Ill. Huenefeld de oryctognosia;
Ill. Baier de psychologia, de logice;
Ill. Limpricht de chemia et anorganica et organica, et analytica;
Ill. Pernice de morbis infantium, de morbis organorum sexualium mulieris, de arte obstetricia; idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.
Ill. Ruehle de pathologia et therapia speciali, de psychiatria; idem dux mihi fuit in cursu practico de auscultatione et percussione atque in clinico medico.
Ill. Bardeleben de chirurgia; idem dux mihi fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus institutis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Berolini:

Ill. Langenbeck de acciurgia;
Cel. Liman de medicina forensi.

Scholis clinicis interfui medicis Ill. Frerichs et Ill. Griesinger; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken; obstetriciis Ill. Martin; morborum infantilium Cel. Ebert.

Quibus omnibus viris optime de me meritis, gratias, quam possum maximas ago, semperque habebo.

THESES.

1. Methodus exspectativa in curanda pneumonia simplici optima.
2. In hydrocele curanda punctio ceteris operandi methodis praeferenda.
3. Generatio aequivoca non est.
4. Fistula ani externa incompleta non est.